

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0359

Sabato 23.05.2009

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE CONCLUSIVA DEL MILLENNIO DELLA DEDICAZIONE DELLA CONCATTEDRALE DI SARSINA (ITALIA) (31 MAGGIO 2009)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE CONCLUSIVA DEL MILLENNIO DELLA DEDICAZIONE DELLA CONCATTEDRALE DI SARSINA (ITALIA) (31 MAGGIO 2009)

In data 28 marzo 2009, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Salvatore De Giorgi, Arcivescovo emerito di Palermo, Suo Inviato Speciale alla celebrazione conclusiva del millennio della dedicazione della Concattedrale di Sarsina (Italia), che avrà luogo il 31 maggio 2009.

La Missione che accompagnerà il Card. Salvatore De Giorgi è composta da:

- Rev.mo Dom Fabrizio Messina Cecchetti, Priore dell'Abbazia benedettina di *Santa Maria del Monte* (Cesena);
- Rev.do Mons. Pierluigi Tonelli, Parroco della Parrocchia della *Madonna delle Rose* (Cesena).

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre al Suo Inviato Speciale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

SALVATORI S.R.E. Cardinali **DE GIORGI**

Archiepiscopo emerito Panormitano

Ad omnem laudem insigne se exhibet Sarsinatense concathedrale templum, cuius primaevam aetatem et antiquitatem praeclaram omnino iuvat revocare. Mille namque excesserunt anni ex quo tempore sacra haec aedes dedicata est, magnam vim fidelium saeculorum decursu susceptura. Nemo profecto est qui huius urbis litterarum Latinarum documenta itemque huius templi non noverit praestantiam, quandoquidem primum ibidem humaniora studia floruerunt, post christianum nomen magis ac magis vigere coepit.

Sacrae ideo talis aedis placet repetere memoriam et illius temporis testimonia, cum christiana mens omnes complectebatur in omnibusque rebus luculenter explicabatur, ut homines quoque qui nunc sunt, superiora haec probanda excipientes, transituris posthabitis rebus, aeterna persequantur ac superis beneficiis penitus afficiantur.

Has igitur propter rationes, libentes et laetantes rescimus convenienti cum sollemnitate millenariam recordationem iri celebratum. Illaque postulatis properanter concedentes Venerabilis Fratris Antonii Lanfranchi, Episcopi Caesenatensis-Sarsinatensis, ut commemoratio haec magnificentius perageretur, mittere statuimus eximium aliquem Praesulem qui partes Nostras tueretur Nostramque simul mentem significaret.

Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, sine cunctatione decurrimus, qui consentaneus visus es ad huiusmodi officium suscipiendum ac sustinendum. Idcirco te **Missum Extraordinarium. Nostrum**, renuntiamus ad millenariam illam commemorationem, quam supra diximus, die XXXI mensis Maii agenda, sollemnitate ipsa eveniente Pentecostes. Exoptamus porro ut extollatur non modo venusta haec aedes, verum et fides ipsa fidelium roboretur. Bona Nostra ideo verba significans Nostramque cohortationem, nomine Nostro et auctoritate Benedictionem Apostolicam universis adstantibus impertias largiter volumus, quae, intercedentibus Beata Maria Virgine et Sancto Vicino, sit supernorum donorum nuntia et insigne animorum renovationis documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die II mensis Aprilis, anno MMIX, Pontificatus Nostri quarto.

BENEDICTUS PP. XVI

[00823-07.01] [Testo originale: Latino]
